



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 8. De obligationibus mutuis inter Reges veros & populum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

cipi scripsit & c. (infra) ego nunc audio, nunc primum disco: non est Princeps supra leges, sed leges supra Principem, nimirum ratione juramenti, quo se legibus subjecit.

2. Hoc vero non obstante Reges varijs rationibus supra leges esse dicuntur,
1. Quia tota potestas legum ijs à Deo concredita est, tanquam Dei in regimine populi, vices tenentibus, nam, ut quidam ait, Rex est similitudo sive Imago quædam divinitatis in terris, dum id ipsum agit in limitato Regnò, quod Deus in universo.
2. Quia Regum est leges populo edicere, in dubijs interpretari, illas temporibus ac locis applicare, appositis pænis roborare.

Articulus Octavus.

De Obligationibus mutuis inter Reges veros & populum.

1. **T**Res potissimum sunt obligationes Regis ad populum. 1. Conservatio populi per necessariorum providã subministrationem. 2. Directio illius per leges, judicia, & incorruptæ justitiæ tam distributiivæ quam commutativæ, sive etiam

O s

præ-

præmiativæ & vindicativæ, administrationem. 3. Defensio contra omnem adversæ potestatis injuriam & infestationem, hi sunt termini boni Civilis communis, quibus finitur obligatio Regia.

2. Tres pariter sunt correlativæ obligationes populi ad Regem. 1. Regi conferre omne subsidium, ad se & commune bonum conservandum. 2. Omnem præstare obedientiam, in ijs quæ ad Regni pacem & bonum ab eo discernuntur, & quæ divinis & Ecclesiasticis, ac regni legibus non adversantur. 3. Omnem honorem & obsequium Regiæ Majestati, jure gentium & regionis constitutum. Has utrimque obligationes firmat communis fides, sive fidelitas, quam jurat quidem Rex sive Princeps, ubi regnum suscipit, & ad quam subditi se obligant, dum per primores suos ipsi Homagium præstant.

3. Rex sive Princeps deficientibus Thesauris Regijs, ad subveniendum necessitatibus familiæ, Regni, Militiæ, stipendijs justis Ministrorum, jus habet subsidia necessaria, ex bonis civium ac subditorum exigendi,

gendi, & subditos ad illa cogendi, inter terminos justitiæ. Testante S. Paulo ad Rom. 13. v. 5. *Ideo necessite at subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideo enim & tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servi- entes.* Dicitur (*intra terminos justitiæ*) quidquid enim extra terminos justitiæ à subditis exigitur, inique exigitur, ac præter peccata mortalia quæ committuntur, resti- tutionis onus remanet, vel Principi, vel Ministris, qui dissimulante Principe, exi- gunt, aut scienter recipiunt, sive Princeps sciat sive non.

4. Porro: Quinquè requiruntur ut rex Vectigalia, Gabellas, tributa nova impo- nere possit populo suo. 1. Causa justa, im- minens, præsens, vel perseverans. 2. Insuf- ficientia opum seu reddituum Principis. 3. Qualitas & proportio vectigalis. 4. Ex- actio congrua & non crudelis. 5. Distribu- tio seu applicatio debita.

5. In ijs etiam necessitatibus, quæ ad particulares Civitates & provincias perti- nent, possunt Magistratus Civitatum, vel

status Provinciae imponere Gabellas & Tallias de licentia regis, suppositis quinque supra dictis conditionibus.

Articulus Nonus.

An subditi in Conscientia teneantur Vectigalia ac Gabellas solvere.

1. **A**ntiqua tributa, Gabellas, Vectigalia, assisias regibus & principibus assignatas, tenentur subditi in conscientia ex iustitia solvere, & illa defraudantes in materia gravi, peccant mortaliter. Quia illa censentur Regibus & Principibus, in eorum possessionem, pro regni administratione & status sui stabilimento collata, unde in hæreditariam possessionem eorum transferunt. Et hoc modo intelligenda est Christi responsio Matth. 22. *reddite quæ sunt Cesaris Cesari.*

2. Tenentur etiam subditi in conscientia nova Vectigalia sive Gabellas solvere, si nimirum sint iustæ, servatis conditionibus de quibus articulo præcedenti: Videlicet ut à potente imponere, pro vera necessitate, vel gravi utilitate publica sint impostæ.